



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.


21. Julij. 12. Cal. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

64 ANNI CISTERCIENS.

S. BERNARDUS, ep. 77. & s. 77. in
Cantica.Se se-
ducit,
qui se
ducit.

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Seductori dat manum, qui dissimulat præptori. Et qui dimittit oves in pascua absq; custode, pastor est non ovium, sed luporum.



21. Julij. 12. Cal. Augusti.

Obijt
anno
1132.

B. DANIEL, qui dignitati tuæ, quâ inter nobiles Venetiarum Patricios eminebas, plus ex contemptu, quàm censu amplissimarum opum accessurum ratus, fulgentem auro gemmîsq; togam cum paupere Cisterciensium cuculla permutâsti. Verùm ibi te honor invenit, ubi tu illius fugam quæsiveras. In Abbatem enim cooptatus, non solùm eximia florebas veneratione in vita, sed etiam ultra mortem tua sanctimonia nominis gloriam produxit. Etiam ego Daniel appellari merebor, si tuo patrocinio efficies, ut inter inimicissimos salutî meæ leones, quærentes, quem devorent, à letifero peccati morsu innoxius vivam.

B. G A-

B. GABRIEL: qui cum in adole-
 scentiæ bivio constitutus, de capeffen-
 do vitæ instituto consilia tecum agita-
 res, felicissimæ certitudinis oraculo, ab
 ipsa Angelorum Regina Cisterciensi
 Ordini nomen dare jussus es: id enim
 sibi, suoque Filio gratissimum fore, ti-
 bi autem ad æternam salutem conse-
 quendam infallibile remedium. Ali-
 orum tamen persuasionibus victus, ad
 Carmelitas, ut non minùs MARIÆ
 devotos, accessisti, sed irritò successu:
 nam prodigio illinc recedere coactus,
 in monasterio Nucalensi ad tyrocini-
 um fuisti admissus. In quo te non tam
 Ordinis, quàm cœli candidatum esse,
 expertus es: quod nempe frequenti so-
 latio ad te orantem descendit, aut ad
 jucunda arcanorum suorum spectacu-
 la extra sensus corporeos abduxit: imò
 nondum elapso anni curriculo, ad vo-
 ta cordis tui, priusquam Vota solen-
 nia nuncupares, recepit. Morienti ad-
 fuit Christus; & ut ad triumphum eo
 duce scires te pergere, victoriarum su-
 arum suarum trophæis, id est vulneri-
 bus, & spineâ coronâ, conspicuus. Quo-
 tiescunque infernus, aut concupiscentia
 suis me bellis infestant, ad eundem Duce-
 meum refugiam: certus ero victoriæ, cer-
 tus præmij, si sub his vexillis pugnaverò.


*Obijt**anno**1620.**B. V. ei**man-**dat Ci-**sterciēs.**ordinē**ample-**sti.**Rapi-**tur in**cœlum.**Christo**duce**victori-**a certa.*

S. B E R-

66 ANNI CISTERCIENS.

S. BERNARDUS, ser. I. in oct. Pasce.

Victo- Bene ergo, quod natum est Deo, vincit
ria ten- mundum, ut sit testimonium coelestis
tationū generationis victoria tentationis: &
probat sicut is, qui filius est per naturam,
filium mundum cum suo principe trium-
DEI. phavit: sic & nos victores invenia-
mur, quotquot sumus filij adoptionis.



22. Julij. II. Cal. Augusti.

Obijt
anno
1165.

S. Ber-
nardū
imita-
tur:

à quo
Prior
consti-
tuitur.

B. GAUFRIDE: qui beatissimo Pa-
tri BERNARDO sanguinis & a-
moris vinculo eras ab ineunte ætate
conjunctissimus: cui etiam veri amo-
ris genio perquam similis esse conten-
debas, pressis vestigiis illius virtutes,
inter difficillima præsertim illa Claræ-
vallis initia, rerumque temporalium
extremam penuriam, æmulatus. Nec
latebat pium Patrem laudabilis fer-
vor, & summarum rerum capax indo-
les. Quam ob causam te secundum à
se esse voluit, Prioris officio tibi con-
credito. Ubi te non tam in curarum
partem assumptum, quàm toti illarum
ferendæ moli parem esse, ipsemet glo-
riabatur, dicere solitus: non se æstima-
re, se